

2257.

1416 d. 6 Juni.

Vadstena.

Vadstena klostets skrivelse till kejsaren med begäran om hans bistånd för Birgittin-regelns stadfästande ¹⁾.

Afskr. i Vadstena kl:s brefbok (A. 26), fol. 109 v.

Premissa humillima nostri recommendacione in Domino cum oracionibus salu-
tiferis et deuotis. Serenissime princeps et domine gloriosissime. Quoniam ut pre-
sumimus serenitatem vestram esse sufficienter informatam de vita et actibus gloriose
beate Brigide, carissime matris nostre et patrone, que inter alia admiranda per ipsam
facta, dum adhuc ageret in humanis, accepit in reuelacione diuina quamdam regu-
lam, quam sedes apostolica per modum constitutionum alias confirmauit, sub quarum
obseruancia inpresenciarum Domino militamus, nichilominus ipsa semper ardentissime
affectabat ut dicte constitutiones regulares quemadmodum tradite sunt, possent sub
vocabulo regule sancti Saluatoris ab ecclesia confirmari, quamuis suo sancto et pio
desiderio protunc minime fuerit satisfactum. Idcirco eisdem maternis desideriis
succensi de et super dictis regularibus constitutionibus in regulam conuertendis ad
thronum vestre imperialis clemencie fiducialiter confugimus humillime ante pedes
maiestatis vestre in terram prouoluti, in quantum audemus suppliciter et cum in-
stancia deprecantes, quatenus ob singularem reuerenciam dignissime matris Dei, cui
religio nostra specialiter existit dedicata, dignemini in hoc sacro Constanciensi con-
cilio pretactum regulare negocium vna cum aliis hanc nouellam plantacionem con-
cernentibus generose suscipere promouendum, habituri eandem gloriosissimam vir-
ginem Mariam suamque deuotam famulam beatam Brigidam supradictam apud ipsum
supremum imperatorem Christum vestras speciales aduocatas, nosque et ordinem
nostrum vestros deuotos et perpetuos oratores. Serenitatem vestram conseruet Al-
tissimus in sua gracia semper saluam et felicem et dirigat in agendis. Datum
Wazstenis, anno Domini 1416, vj die mensis Junii, nostro sub sigillo.

Abbatissa et confessor generalis ac vterque [conuentus] mona-
sterii sanctarum Marie virginis et Brigide in Wazsteno, ordinis
sancti Augustini sancti Saluatoris nuncupati in regno Swecie,
serenissime maiestatis vestre humillimi et deuoti oratores.

¹⁾ Ofvanför afskriften läses: Tenor supplicacionis ad imperatorem pro regule confirmacione et
fratrum promocione.

Äfven till den blifvande påfven synes en supplik hafva afsändts från Vadstena kloster; en afskrift
deraf har varit införd å folio 119 (som nu saknas) i ofvan nämnda codex. Slutet deraf, som gått in på
folio 120, lyder: paternaliter defensata. Sanctitatem vestram conseruet Altissimus in sua gracia
semper saluam et incolumem ad ecclesie sue sancte regimen et honorem. Scriptum anno Domini mcdxvj.
(Adress:) Sanctissimo in Christo patri ac domino, domino M. sancte Romane ac vniuersalis ecclesie futuro
summo pontifici cum humilitate et reuerencia debita presentetur.